



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Caritas Societatis Iesu in Angliam. n. 34.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

fidei limpidiſſima dogmata, per integræ vitæ canales decurrentia, & hauriuntur iucundius, & in mentes hominum potentius influunt.

XXXIII. Quod verò vtriuſq; quos collegerant diuites theſauros in cariſſimos Ciues ſuos errogare datum non ſit, id inacceſſis Dei conſiliis tribuendum, qui vt olim totius orbis lucem optatiſſimam, miſſo de ſummo cælo filio ſuo vnigenito Chriſto *Ieſu* Domino noſtro; in infidelitatis & nequitie tenebras non prius intulit, quam illæ eſſent denſiſſimæ; ita noſtris in Angliam reditum aperiri noluit, donec poſt viginti annos quos Elizabetha regnauerat, remedij iam nulla forma affulgeret: Nam neque Principum externorum ſeu preces ſeu cohortationes, neq; ipſe cum Catholico nuptiarum, neq; Pij Pontificis minæ, quidquam apud impatientem iugi feminam valere: Iam illa non legibus ſolum, ſed ferro & ſanguine impium Schiſma tuebatur: Nihil tutum Catholicis, nè profundiffimæ noctis horæ: Inuolabatur in ædes nocte concubia, effringebantur conclauia, parietes lacerabantur, effodiebantur ruina: tum ſi locum aliquem precibus aptum, ſi quam ſuppellectilem ſacriorem, ſi in ſacerdotem latentem fortuito incidiffent, id violatæ, ſcilicet, Maieſtatis ſignum lucidiſſimum, id poteſtatis contemptæ fædiſſimum crimen erat, non omni ignominia, non ipſâ morte eluendum. Itaq; ſicut qui æger decumbit paruis obuijſq; primùm remedijs arcere conatur corporis morbum, at ingraueſcente malo plures peritioréſq; accerſit medicos; & graſſante incendio non domeſticæ ſolum, ſed procul è vicinia aduocantur adiutrices manus, ita corroboranti ſe hæreſi robuſtiora tela obicienda diſpoſuit diuina ſapientia, & quæ aliò auerſa erant arma huc voluit reuocari

XXXIV. Quam verò caritatem annis viginti quinque ab obitu Sancti Patris in ſingulos effuderat Societas, eam vniuerſæ Inſulæ ſeruafſe dicenda eſt: Nam niſi illis temporibus, quibus nondum patebat in Angliam ianua, ſinum ſuum admittendis compluribus aperuiſſet, vbi *Campianos* vbi *Perſonios* & *Garnettos*, & *VValpols*, ceteróſque laureâ Martyrij decoros Athletas haberemus, cum iam Oceanus diuinæ miſericordiæ ponte ſterneretur? Potens eſt Deus ex lapidibus vbique obuiis, *ſuſcitare filios Abrahæ*; atque momento temporis *plusquam duodecim legiones Angelorum* mittere ad Corpus ſuum, hoc eſt, Eccleſiam protegendam, atque è quorumcunque armatorum manibus eruendam; ſed multorum vult precibus, quam molitur cauſam, primùm agi, multorum voluntates experiri, quæ effectum licet non conſequantur, quem enixiſſimè optant, nõ carent præmio. Moyses & Aaron per annos quadraginta in deſerto cum populo Iſraëlitico ductores doctoresque fuiſſent à Deo conſtituti, in optatam nihilominus promiſſionis terram lacte fluentem & melle non peruenierunt ipſi, neque quod in votis erat maximè, licuit plebem quam hætenus quaſi in vlnis portauerant, in illa paſcuæ loca & aquas reſectionis deducere quæ fidelibus famulis ſuis parauerat Deus: Iofuë Miniſtro Moysiſ is datus eſt honos. Ex octo fratribus Bethleemitis minor *Dauid* eligitur, qui in ſuperbo Gigante totum Philiftiaorum fundat exercitum, maioribus

Cur non miſſi in Angliam.

Caritas Societatis in Angliam.

Matthæi 3. 9 26. 53.


Deut. 34. Iofue 1.

1. Reg. 17.



1573.  
1 Paral.  
17. 18.

nati prius castra secutis, & in posterioribus derelictis, vel in alia munia distri-  
butis. Quid vellent isti quos memoravi, & quorum memoria chartarum in-  
iuriâ sepulta iacet, Deo per ardentia vota in occulto mentis cubili explicarunt;  
in aperto plurium Prouinciarum theatro per omnium scientiarum ornamen-  
ta quid possent demonstrarunt, magnis seipfos cumulantes meritis, dum quam  
Patriam præsentis iuuare non poterant, in orbis vniuersi ambitu complexi  
sunt, cui quaquauerfum iuuando totos se sub obedientia manciparant.



HIS